DE PARAMETRITIDE ACUTA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS GYNAECOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXV

HORA IX.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS MÜLLER

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

W. ASSMANN, MED. ET CHIR. DD.

R. SCHELLHAUS, MED. ET CHIR. STUD.

VRATISLAVIAE.

TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

VIRO

DOCTISSIMO EXPERIENTISSIMO

GUILELMO FREUND,

ED. ET CHIRUR. DOCTORI, IN CLINICO OBSTETRICIO ADJU-
ORI, IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA PRI-
ATIM DOCENTI, SODALI PLURIUM SOCIETATUM LITTERARUM
ETC.

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO DILECTISSIMO

GREGIE DE SE MERITO SUMMEQUE SEMPER VENERANDO

NEC NON

MEMORIAE

VIRI ILLUSTRISSIMI AMPLISSIMI CELEBERRIMI

J. GUIL. BETSCHLERI,

MED. ET CHIR. DR., UNIVERS. VIADRINAE VRATISLAV. PROF. P. O. ET SCHOLAE CLINICAE GYNAEC. MODERATORIS, AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI IN SUPREMO SILESIAE REGIMINE RERUM MED. A CONSILIIS INTIMIS, COLLEGII SUMMI AD MEDICOS OMNIS ORD. EXAMINANDOS DIRECTORIS, ANGUILAE RUBRAE EQUITIS, PLURIUM LITTERARUM SOCIETATUM SODALIS ETC.

PRAECEPTORIS DILECTISSIMI

PRAEMATURO FATO NOBIS EREPTI.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Prooemium.

De Parametritide acuta licet jam multi doctissimique viri scripserint, tamen eandem mihi materiam hoc in libello pertractandam proposui, non quo novi aliquid hoc de morbo in medium proferrem, quippe qui imperitiorem me esse haud ignorem, quam ut nova symptomata curandive methodos possim promere, sed quia et occasio mihi erat oblata in clinico et policlinico multas caussas, symptomata, decursus exitusque hujus morbi observandi, et ipsius materiae studium magnam oblectationem praebere mihi videbatur. Ipsam vero disputationem ita instituere visum est,

ut non solum nova colligerem collectaque proponerem, sed etiam meam de symptomatibus deque decursu et diversis therapiae methodis sententiam proferrem. Viro autem Exp. Ill. Guil. Freund, qui benignissime et benevolentissime in his studiis me adjuvit, facere non possum, quin gratias agam quam possum maximas. Abs te vero, lector benevole, peto ut, si quid vel falsi vel minus recte tractati attulerim, indulgeas mihi judicemque harum primitiarum et aequum et comem te praebeas!

Pars theorethica.

De tela cellulosa pelvis muliebris normali.

Membrana, quae uteri partem exteriorem fere totam obtegit, non est nisi ipsum continuatum peritonaeum, quod in cavea pelvis minoris transverse locatam duplicaturam efficit recipiendis organis sexualibus destinatam.

In medium hujus plicae circuitum uterus ab inferiore partem superiorem versus quasi immissus est, musculoque suo converso illius lateri magis minusve implicitus, ut praecipuam hujus organi partem conficiat. Proprium uteri involucrum peritonaeum est, maximam partem adeo tenuis membrana, vix ut 0,1 Mm. crassitudinis habeat. In statu normali superficies ipsius laevis, humida nitidaque est adeoque pellucida, ut colorum varietas inde quod substratum illi est pendeat, praecipueque in gravido utero ob magnam sanguinis venosi copiam caeruleo-alba appareat. Fundamentum hujus membranae fibrillare ligamentum est, quod modo paucis angustissimis fibris elasticis intertextum est, contra praeter vasa capillaria haud pauca ossicula oblonga continet. Versus cavum peritonaei haec compages cellulis polygonalibus ossicularibus constructo epithelio obtegitur; cum substantia uteri in fundo inque maxima corporis parte substantia subserosa, cellulosa tam arcte conjuncta est, ut modo bene praeparata forcipe minimis frustulis possit solvi; deor-

sum collum versus ligamentum laxius est magnaque laxae inflammationibus infiltrationibusque magnopere obnoxiae substantiae cellulosae copia temperatur. Proinde uterus plane exstirpari nequaquam potest, ut omnino ex involucro peritonaeali solvi hoc organon dicic queat. Membrana serosa uterum quadrifariam relinquit efficitquc organa quaedam ab magnam quam excercent vim sane digna, de quibus paulo explicatius disseramus.

In anteriore uteri circuitu peritonaeum haud procul sub loco, orificio uteri interno, respondente, qui 6,5 cent, altitudinis verticularis vel quatuor circiter digitos transversos super orificium urethrae jacet, in posteriorem vesicae partem transit, Inde inter utrumque organon superne patens folliculus nascitur excavatio vesico-uterina, cujus altitudo pro expletionis vesicae modo alternat. In lateribus paulum prominentibus aeque curvatis plicis vesico-uterinis attingitur, quibus exiguae cellulae fibrosae eontractiles continentur, a superficiali uteri musculorum strato proficiscentes. Peritonaeo non tectus prope 2 cent. altus circuitus anterioris colli uterini proxime fundo vesicae se adjungit cum eoque partim substantia cellulosa, partim reti venarum ita cohaeret, ut ibi varii processus pathologici facile oriantur, quin statim peritonaeum male afficiatur.

In posteriore cicruitu peritonaeum altius patet, ut non modo totum, quod super laquear vaginae invenitur, segmentum colli uteri obducat, sed laquear quoque portionis vaginalis labii posterioris superiori parti dimidiae congruenter tegat. Haec res anatomica propterea summi est momenti, quod aperiundi sacci peritonaealis in laesionibus posterioris circuitus laquearis vaginae periculum monstrat. Circiter 6 Centim. sive quatuor digitos transversos super orificium intestini recti peritonaeum in intestinum rectum transfertur, ut hoc inter et uterum saccus profundus, excavatio recto-uterina, spatium Donglasii, quod dicitur, efficiatur, quod plerumque ansas nonnullas intestini tenuis continet. In utroque hujus sacci latere peritonaeum in plicam magis minusve intente inflexam, plicam recto-uterniam ·dico sive seminularem Don-

glasii attollitur, quae tamen non ubique aequaliter bene expressa, sed modo tanquam oblita modo etiam aperte prominet. Utraque plica, latera sacci illius circumdans, versus latera intestini recti evanescit; contra versus partem anticam, i, e. in posteriore colli uteri latere aperti ipsius margines nascente transverse decurrente versus partem posticam concavo procursu confluunt cujus magnitudo item nonnunquam alternat. Plicae Douglasii musculos organicos complectuntur, qui plani ac subrotundi fasciculi in patenti margine interiore juxta intestinum rectum usque in viciniam vertebrae sacralis decurrit. Formatio ejus non solum uteri quandam cellularum firibrosarum copiam absumit, sed etiam superiorem partem vaginae asciscit. Uterque fasciculus musculorum his locis in cingulum versus intestinum rectum concavum coit, qui jam extrinsecus apparet ille anteriores partes extremas plicarum Douglasii torus eonjungens, quem plane injuria O. Kohlrausch collectam foliaceam substantiam collulosam habuit. Ceterum in objectis bene confectis plane cuique persuadetur non omnes fibras musculares ab utero vaginaque proficisci, sed copiam ipsarum nempe eas, quae arcuatim inter se contingunt, quodam modo proprie formatas esse. Quod si hanc totam dispositionem, quod quidem attinet ad vim quam exercet, respexeris vix dubitabis, quin ea conditione sit facta, ut convenientiam praecipue situs uteri partis inferioris definiat ac tueatur quocirca in universum musculus retractor uteri apte potest appellari. Imum spatium Donglasii constituens pro rata parte crassum, latis fibris elasticis insigniter abundans peritonaeum ope laxae substantiae cellulosae cum denso venarum plexu conjunctum est, intestinum rectum inter et vaginam immisso. Ruptis singulis venis nonnunquam extravasata oriuntur, quae non solum posteriorem vaginae parietem in tumoris — haematocelen retrovaginalem-protrudere, sed etiam peritonaei sinum in spatium Douglasii se extendentem efficere possunt. Veram haematocelen retrouterinam interdum se praestat intra hoc spatium sanguinis confluxus, qui plerumque vasis ovarii ruptis ibi deponitur, sed etiam ex pseudomembranosarum productionum vasculis profluens perito-

naeum contingere potest. A dextra atque sinistra partibus uteri plica peritonaei eum recipiens ad parietes laterales versus cavi pelvis minoris amplas conformans duplicaturas expanditur, quibus ligamenta quae vocantur uteri lata exhibentur. Laminae ea constituentes quaeque valde dilatari possunt ac fibris elasticis abundant, non omnes sunt ejusdem magnitudinis, quum posterior aliquanto altius anteriore descendat. Tempore graviditatis non contrahuntur, ut falso putatum est, in uteri tegumentum serosum, sed ad incrementum hujus organi, quod fit in longitudinem se accommodantes etiam absoluta magnitudine crescunt. Ad medium versus hae laminae ad speciem quandam hili definiendam in vasorum uteri introitu exituque pro spissitudine discedunt, quum in latera versus marginem sinuatum atque in externo ovarii fine plerumque depositum conformantes coalescunt. Sed inter finem tubae abdominalem et externum ovarii finem hic inflexus haud raro eo interrumpitur, quod fimbria quaedam Morsus diaboli tubam cum ovario constanter conjungit. Inter duas laminas cujusque ligamentorum uteri latorum variae sunt partes insertae, quarum ratio est in utroque latere praecipue eadem. Intra superiorem vacuum marginem tubae procedunt pauloque infra ligamentum ovarii et ovarium sunt collocata, quod tamen posterius peculiari et marsupio simili lacinia laminae posterioris continetur. Pars ligamenti uteri lati inter tubam et planum ovarii marginem cum stilo musculoso expansa ala vespertitionis nuncupari solet. Triangulus est, cujus latera sunt inaequalia ad uterum versus in apicem exiens in lateraque margine leviter sinuato terminata, qui vel involucri locum utrique laminae praestat vel continuata fimbria externi tubae orificii apparet. In ala vespertilionis parovarium, arteriae venaeque nec raro etiam parvae cystae altero ex parte degenerato exortae inclusae sunt, nec non eonformat posterior lamina saepissime involucrum notuli breviore longioreve pedunculo praediti, qni plerumque cum externi tubae finis pariete cohaeret. In plica longitudinali ac manifesto eminenti universae altitudinis laminae auterioris ligamentum uteri teres conclusum est: Laevis quidam fasciculus tempore gra-

viditatis usque ad digiti minimi crassitudinem accrescens atque ex contractilibus cellulis fibrosis constans, qui fibrarum confluxu, quae sunt in anterioris partis uteri superficie, producitur. Hic fasciculus, quem Hunterus fasciam appellavit, natura in fine oritur, quo tuba in uteri cornu transit ideoque in iis rebus dubiis de anomali uteri formatione magni momenti est, in quibus decernitur, quid uteri cornu quidque tuba judicandum sit. Ligamentum uteri teres etiam longe trans ligamentum uteri latum se extendit per canalem inguinalem procedens usque ad substantiam montis Veneris cellulosam, in quo fasciculi cremasteri similes, tantum subtiliores variique musculi obliqui interni transversique abdominis ei admiscentur. Qnam ob rem quamdiu uterus intra cavum pelvis minoris continetur, ligamenta uteri teretia, ut ad canalis inguinalis orificium externum perveniant, super lineam terminalem se tollere necesse est, quum ab utero gravido ad eundem tranverse latera versus descendant: in utraque re vero ante introitnm arteriae epigastricae originem secant. Praeter multa vasa sanguinea et vasa capillaria pars inferior latorum uteri ligamentorum etiam organicas fibras musculares continet, quae a strato superficiali uteri transverse inter laminas ipsius desinunt. Tempore graviditatis accrescunt atque etiam incidentibus conditionibus aliis vulgarem rationem excedentum amplitudinem indunnt. Quotiens ligamenta uteri longiorem distentionem erant passa praesertim longius durante prolapsu uteri magnopere adultae abservantur. In ala vespertilionis singulos subtiles fasciculos modo in laterali ipsarum margine videre licet, ubi extremas partes tubarum et ovarii jungunt ideoque utraque ut inter se contingant sane quidem possunt efficere. Deorsum laminae amborum ligamentorum uteri latorum multifariam dilabuntur, ut in propinquun parieti pelvis minoris peritonaeum parietale transeant. In termino inferiore vacui marginis parietalis involucra utriusque lamellae paulatim in simplicem laminam extenduntur, quae ultra parietem pelvis in serosum involucrum musculi ileo-psoadis transit, lamina posterior juxta rectum in parietem transversum sacci peritonaealis desinit, ubi medium versus lamellam lateralem pli-

cae Donglasii format ultraque vasa hypogastrica et finem uretri tendit, qui juxta laquear vaginae circa 8 Mm. ab illo distans descendit inque superficie altissimae portionis uteri vaginalis in fundum vesicae demittitur. Anterior lamina ligamenti uteri lati ab inferiore fine juxta vesicam versus anteriorem parietem abdominalem attollitur, in quo ligatura ejus cum ligamento tereti uteri eo laxior fit, quo magis hoc annulo canalis inguinalis externo appropinquat. Secundum hanc verae dispositioni respondentem expositionem dici jam non potest utrumque uteri latum ligamentum velut trausversum parietem pelvis expansum esse, potius id inde consequitur solutum mobileque in cavum illius propendere.

Anatomia pathologica.

Hic in universum habemus modos anatomicos Peritonitidis modo certo exitu in superficie uteri ejusque viciniae observato. Uterus in cadavere plerumque apparet amplificatus, involucrum ipsius peritonaeale spissius est, utrumque ovarium agglutinatione ad uterum distentum, nonnunquam auctum. Inflammatio peritonaeo marginis pelvis se potest continere, aut in telam cellulosam pelvis magis cogi, saepe vero in totum peritonaeum extenditur. Aut enim extensa injectione potius serosa et pseudomembranosa exsudata inveniuntur, aut apparente fusco lividoque rubore cruentaque imbibitione ulcerosum quin saniosum exsudatum apparet. Morbo procedente variae exsistunt concretiones, sua membrana obvolutae suppurationes; hae in variis peritonaei partibus possunt nasci, frequentissimae vero in inferiore pelvis spatio, in spatio Douglasii, in tela cellulosa apparent et aut lentescere omnes possunt et obsolescere, aut in partes vicinas vel intrinsecus vel extrinsecus evadere. Interdum inflammatio purulenta in ovario cogitur, aut in omento, brevique magna exsudatorum copia potest fieri. Superficies uteri interior sat graviter infecta est exsudatorumque sedimenta exhibet, interdum etiam albida ap-

paret. Tela uteri plerumque spissa est, interdum etiam locis singulis laxatam se praestat. Segmentum luteolum apparet singulaque vasorum lumina exhibet, ex quibus sanguis profluit. Tunica vesicae mucosa plerumque apparet normalis continetque paulum urinae lutulentae. Tubae et ovaria graviter sunt infecta, crebro pelvis minor humore exsudati floccisque repleta est.

Aetiologia.

Inflammatio telae cellulosae circa uterum multo saepius abortu vel partu, quam alia caussa efficitur. Magna eique propria ad suppurationem inclinatio effecit, ut jam pridem in obstetricatorum notitiam venerit, aut saltem abscessus, quos excitat, quamquam diu falsae de ipsorum natura opiniones occupatos tenebant viros doctos. Scilicet secundaria sedimenta habita sunt, ex supposita lactis metastasi orta vel elementorum ejus secretione, si quidem nimiam ipsorum copiam sanguis complecteretur. Praetera hunc processum alii alio loco exsistere putaverunt diversissimaeque partus conditiones illuc velut ad remotiorem causam efficientem relatae sunt. Procedente demum scientia falsa ista ratio missa est, at simul etiam inflammabiles affectiones uteri attendi desitae, aut modo ut pathologicae complicationes febris puerperalis occassione oblata observatae sunt, donec nuper crebra ejus exsistentia studia virorum eruditorum in se converterunt. Quin ne hodie quidem, licet affectiones istae ut cum conditione puerperali conjunctae sint notae, ipsarum exsistentia nulla habita graviditatis ratione, exitusque vix tanti aestimata sunt, quanti quae aestimentur digna sunt.

Plerumque, exsistente post partum morbo, aegrotae primiparae erant, aut partus arte erat ad exitum perductus sive adhibita forcipe, sive flexu. Ruptura quoque perinae nonnunquam causa fuisse videtur inflammabilium morborum, item talibus in partubus crebro videtur nasci hic morbus, qui magis quam vulgo fit protracti vel cum crebris sanguinis profluviis conjuncti

erant. Praeter partum, grave puerperium abortumque, unde sane saepissime repetenda est parametritis, etiam aliae quaedam res noxiae effieere eam possunt. Sic quae tempore menstruationis vim in corpore exserunt, frigus et pedes madefacti, nimius inter menstrua coitus, inde oriens cita horum suppressio gravissimae occasiones sunt commovendae parametritidis non puerperalis. Sed haud raro occurrit, ubi certa caussa nulla potest reperiri. Morbus semel natus materiam iterationis videtur continere.

Praeter has causas, quas modo ipsas vim exserere memoravimus, aliae quoque res parametritidem possunt excitare. Sic plerumque ab alio organo ad uteri appendices sive uteri sive peritonaei sive aliorum organorum proximorum deducenda inflammatione nascitur. Praecipue uteri inflammationes plurimas possunt causas gignere longius in ovaria reliquaque uteri appendicula diffuudendae inflammationis, quin etiam peritionaeum potest simul affici. Atque inflammatio peritonaeo pelvis spatii sola potest contineri, aut etiam in tela pelvis cellulosa cogi; plerumque tamen in totum peritonaeum extenditur.

Accedit ut novae quaedam formationes benignae et malignae vi sua quam in uterum ejusque appendices exercent parametritidem possint provocare. Sic polypi irritant utcrum infiammantque, eaque inflammatio interdum in aucto insigniter collo uteri inque ejus quadam duritie magna sanguinis affluentia orta hujus partis asquamatione effecta cernitur, quae quidem condicio medicum, nisi cavet, eo potest adducere, ut neglecta vera hujus mali natura opinetur se hypertrophiam et indurationem tractare inflamato collo uterino exortam. Inde etiam elucet quin fiat, ut justo major in vaginam propendens polypus cum haemorrhagia conjunctus esse non debeat, contra tumor vel minimus in collo uterino inclusus maximas haemorrhagias potest excitare.

Fibrosi uteri tumores item possunt parametritidem parere. Ac vis quidem, quam in uterum excercent hi tumores, magnopere quidem variat, sed major tamen existit tumoris cum utero arctae conjunctionis potius, quam alius tumoris amplitudinis habita ratione. Qui

si externas uteri partes occupavit inque cavum abdominis prorcevit, enormis saepe amplitudinisfit uterusque-ut conseutaneum est, valde oblongatus ac proprie deformatus, nec tamen in universum accrevit. Protento autem utero formationes proximae distenduntur, unde consequitur, ut facile possint inflammari.

Novarum formationum malignarum ante omnes carcinoma uteri ovariorumve saepissime inflammationis symptomata, sequente ulceratione efficit. Nulla carcinomatis species uteri propria videtur esse, licet non omnia prorsus aeque crebro occurrant. Fungus sive carcinoma medullare longe frequentissima est, proxime accedit forma hujus morbi epithelialis, nisi rectius facimus, praeeuntibus nonnullis insignis notae viris doctis in alium eas a vulgarique carcinomate diversum ordinem referentes. Quibus proxime vel intervallo eadem, qua novum quidque hac in re detegitur, ratione extenso separatum scirrhum, vel carcinoma fibrosum, collocare possumus, quum colloides vel species alvelaris saltem non minus raro, forsan etiam rarius inveniatur. Quodsi ad commutationum considerationem transimus, quas in uteri superficie externa efficit carcinoma, haud exiguae gravissimaequae observandae sunt. Multa occurrunt, quae uterum in cavo pelvis ita compescant, ut fere in omni carcinomate medullari, exceptis ipsis initiis, observatum est. Idque fit partim chronica quadam peritonitidis forma, quae plerumque etsi non constanter partibus ipsam pelvim contingentibus continetur utrumque vesicae et recto agglutinat. At vero haec non unica est ejus rei causa, sed cancrosa infiltratio intra uterum partesque vicinas, item in plicis ligamenti uteri lati in pelvi compescit, eoque conjunctisque partibus vicinis substantiam immobilem format. Haec sedimenta vulgo in superficie peritonaei viscreali existunt, interdumque ita extensa sunt, ut manifesta utéri ipsius atrophiae causa fiant. Augescentibus his sedimentis peritonaeum totum corripitur ac denique in magna carcinomatis massa, quae uterum ejusque appendices occultat, diagnosci nequit.

Praeterea tumores ovariorum parametritidem possunt provocare. Sic ex gr. cystae ovariorum, quae saepe, si extenduntur, vicina organa prementes acutam

ipsorum inflammationem efficiunt, vel materia in cavum pelvis effusa universalem peritonitidem provocant. Carcinomata ovariorum, etsi in morbis rarioribus numerantur, tamen non minus qaam uteri carvinoma graves inflammationes et cancrosas infiltrationes telae pelvis cellulosae totiusque peritonaei possunt efficere.

Ultima parametritidis causa etiam in haematocele retrouterina potest poni. Haec recenti aetate praecipue a Francogallorum hominibus doctis praeclare descripta effectio in uteri vicinia haemorrhagia constat, frequentissime intra laminas unius latorum uteri ligamentorum, rarius infra peritonei plicam ab utero ad pelvis parietem posteriorem tendentem. Quodsi haemorrhagiae ortus tumor non in tempore aperitur, non ex incremento ipsius nata incommoda augentur, verum etiam inflammatio organorum vicinorum tumorisque ipsius potest exsistere, quae aut concretiones efficit aut abseessus format.

Symptomatologia.

Quotiens e partu vel abortu oritur affectio, primis horis vel diebus grave frigus quatiens accedit, quod celeriter vehemens febris cum parvo, accelerato, sed duro resistentique pulsu sequitur. Caput est occupatum. Nonnnllae aegrotae perquam commotae sunt, facies ipsarum rubida, conqueruntur de vehementibus capitis doloribus habentque forte etiam delirium; cutis ardet aut leviter sudat. Aegrae de magna siti queruntur, de malo oris gustu deque cibi absoluto fastidio. Linguam habent muco obductam. Mox simul, mox post febrim magni circa uterum dolores existunt. Fiunt cito diuturni, urentes, pungentes, violenti, raro inertes vel tormina referentes saepeque adeo aegrotas vexantes, ut uno tenore clamitent aut suspirent gemantque, ut ne uterum commaveant, vix respirare conentur, utque levissima tegumenta tenuissimaque cataplasmata non sustineant. Plerumque ii dolores ab aliqua parte abdominis inferioris initium capiunt neque inferiorem abdominis partem transeunt. Nonnunquam per totum

abdomen extensi in hypochondriis et inguinibus non minus urgent quam in hypogastrio. Minima medici examinantis compressio gravissimos ciet dolores. Venter distentus, fracidus est, postea saepe vaporibus turgidus, extento fessoque sono percussionis vis exsudati jam effecti cognoscitur. Raro tantum diarrhoea observatur, contra plerumque obstructio alvi pertinacissima. Urina est parva, alta, turbida salibusque abundans. Lochia lactisque secretiones repressae sunt, aut illa foetidam sibi induunt naturam. Saepe sunt dolores abdominis leves, non raro tumor, induratio, quin etiam scirrhoma circumscriptum in una alterave regione iliaca a medico tractante observata primum laborantis animum ad certum locum, propriam dolorum sedem ac fontem vertunt. Symptomata universae constitutionis pertubatae, etiamsi in principio perquam fuerint distincta, procedenti loci malo vehementiae raro capiunt incrementum, sed altero tertiove die post partum exorta plerumque duabus vel tribus hebdomadibus praeteritis se remittunt, id quod saepe fit sine ulla medicina sed salus, quae ita videtur restituta, non solum ab initio est imperfecta, sed etiam omni die magis magisque interpellatur, prout malum loco inhaerens progreditur, et nisi prius, abdominis doloribus, dysuria sive tenesmo aliove symptomate dilucide illuc spectanti significatur. In condicione partis affectae positum est, tumor in externis necne animadvertatur; nam quum is semper magis minusve clare ibi cognoscitur, ubi partes ligamento uteri lato contentae inflammationis sedes sunt, plurimum deest, si malum tela cellulosa, quae est inter uterum et vesicam semperque si in pariete retrovaginali vel circa inclusum est. Paullum incerta symptomatum multorum natura ex his casibus et nimis usitata vaginalis explorationis omissio, qua in plerisque casibus perpetuus tumor demonstrari potest, in hujuscemodi casibus saepissime de mali natura in errores perducunt eo minus excusandos, quod paucae sunt affectiones, quarum diagnosis, quaestione bene instituta, sit facilior. Nec facile dictu est, quam mature post morbi initium tumor gignatur, ut in exploratione possit inveniri; plerumque tamen celerrime exsistit. Accurate examinans jam biduum vel triduum post prima

symptomata plurimum in una regione iliaca alterave copiam quandam animadvertet cognoscetque, si hic locus prematur, de doloribus magis conqueri aegrotas, quam alibi, percussoque hoc loco sedationem quandam sensumque auctae resistentiae nasci, qui in parte altera non percipiatur.

Si parametritis sine ulla causa puerperali occurrat, malum e symptomatibus communis peritonitidis non admodum vehementis plerumque videtur proficisci, quae quidem ex tractatione minuantur, verum non omnino tollantur, sed potius loco accommodato in uteri pelvisque regionibus contineantur, ubi accurate quaerendo eaedem ipsae inveniuntur mutationes, quae etiam post inflammationem in puerperio eveniunt. Ita malum potest peritonaeali superficie viscerum coërceri variaque membra certis adhaesionibus inter se confundere, quae, ne uterus e cavo pelvis se efferat, impediunt eoque, si graviditas inciderit, ut ea praemature finiatur, efficiunt, quamquam etiam absoluta sterilitas nequaqam raro e tali impetu consequitur. Aut vero inflammatio non modo non peritonaeo includi, sed etiam maxime telam cellulosam circa uterum commovere atque in suppurationem sive exsadatorum depositionem inque perpetuam indurationem potest exire, quae diu post morbi acuti abitum, quin interdum post ejus memoriam prorsus extinctam possunt restare. Utile est haec pericula commemorare neque his symptomatibus deminutis morbum plane extinctum opinari, sed quamdiu dolor quidam vel molestia in parte abdominis inferiore vel circa uterum indicatur, suspicionem circumscriptae peritonitidis, quae possit se explicare, aut inflammationis cum utero ejusque appendentibus partibus conjunctae telae cellulosae retinere.

Decursus et exitus.

Nulla communis regula esse videtur, quae absolute partem inflammationis sedem vel ejus processum definiat, aut qua possit praedici, utrum ea sit exitum captura in suppuratione, an, si prospere cadat, in re-

solutione. Tela cellulosa in quovis loco circa uterum mali sedes fieri potest, licet ea, quae lato uteri ligamento continetur, multo saepius eo moveatur, quam tela aliorum locorum. Praeter hunc locum morbus saepissime occurit in tela. quae est inter uterum, et rectum rarissime in ea, quae inter vesicam et uterum constat. Inflammatio telae collulosae inter musculos abdominis et peritonaeum sitae, quaeque peritonitis externa nuncupatur, idiopathicae affectionis nomine perraro evenit, sed nequaquam est inusitata complicatio inflammationis telae cellulosae inter plicas unius altheriusve ligamenti uteri lati contentae.

In casibus plerisque malum non est eo loco inclusum, quo tumor externus et abscessus re vera exsistunt, sed quum iliacum internum circumdans tela cellulosa prima morbi sedes fuerit, iuflammatio paulatim circa abdomen ad anteriorem ejua partem se expandit, etsi pus hoc loco ortum nequaquam constanter per abdominis parietes se effundit, sed in plurimis casibus exit per communicationem cum recto effectam. Plerumque tamen pus videtur esse maxime proclive ad se foras profundendum, exitus in suppurationem vel certe in oedema cum liquore infiltrato multo saepissime fieri videtur et quidem vel tum, quum nunquam pus extrorsum perforat, neque etiam mihi videtur hic, exitus inflammationis in suppurationem minus saepe evenire in casibus cum partu vel abortu praecedenti non conjunctis, quam in iis, qui ex veris causis puerperalibus proficiscuntur. Ingens celeritas, qua tumor se conformat, aut per abdominis parietes inveniri, aut in aliis casibus per vaginam sentiri possit, fluido in laxam telam cellulosam subito se effundenti explicanda est, quum varia ejus extensio ejusque non accurate circumscripti margines et abitus, qui fit occasione data, in una parte, reditusque in altera parte factus argumento sunt affectionem non solidum organum velut ovarium corripuisse, indeque simul elucet, quomodo vel vehementissimis impetu facto gravissimisque, quae videntur, apparentibus symptomatibus solida morbi liberatio exsistat functionesque sexuales plane integrae remaneant. Pro vulgari ratione hunc in suppurationem

exitum raro mors sequitur, sed pleraeque laborantium brevissimo saepe tempore interjecto plane convalescunt.

Pure effuso de salute aegrotae jam desperandum non est, etsi pus raro tanta copia effunditur, ut subito levatio oriatur, sed quum meatus abscessus continuationis plerumque angustissimus sit, aut exigua plerumque puris copia effunditur, aut in rectum effusum pus ibi colligitur, donec unciae aliquot resederunt, quae ob nisum in defaecationem arcentur, dum etiam dies mensesque pus cum faecibus mixtum abit vel exigua ejus secretio harum excretioni antecedit. Ubi in tela cellulosa intra plicas ligamentorum uteri latorum inflammationis sedes est, item ubi tela post uterum sita affecta est, pus plerumque per rectum, perraro per vaginam perforat. Meatus intestini continuationis plerumque abditus sit ac depressus licet infra sphincterem internum, et quamquam vulgo minor est, quam qui inveniatur, tamen locus ejus sat certe potest divinari, ubi partem tumoris digito deprehenderis, qua parietes ejus molles se exhibent ceduntque prementi. Praeterea vero, orto in quodam loco abscessu vel jam aperto, alia quoque sede pus potest effundi. Quod quotiens fiet, valde dubium est, utrumque effluvium num ex eodem fonte manaverit, an duo distincti, alius ab alio diversi abscessus exstitissent, quorum altera altero prius sit exortus. Non solum per externa abdominis tegumenta, per vaginam et rectum, sed etiam per vesicam pus perforare potest; quod quotiens fit, suppurationem molestissimus vesicae catarrhus solet sequi. Etiam in cavum abdominis pus abire potest, ubi plerumque peritonitis letalis nascitur. Saepe etiam magnos abscessus usque in mediam femoris partem se demittentes efficit intra psoadem majorem et iliacum internum per ligamentum Poupartii viam sibi muniens, ut procul ab inflammationis sede in femoris parte perforet. Nonnunquam etiam ascendit et usque ad diaphragma pervenit, ubi id premens asthma potest efficere. Ista hujus affectionis inclinatio non solum per directam telae continuitatem se extendendi, sed etiam consimiles structuras, etiamsi non sunt proxime cum illa conjunctae, corripiendi, malum multo gravius red-

dit medicoque necessitatem injungit aegrotas etiam diu postquam optime de salute sperari coeptum est, diligentissime observandi. Pessimus, sed etiam rarissimus morbi exitus gangraena est, quae celeriter serpens omnia corripit, inflammat, erodit, letumque fert. Alius ac plerumque felicior morbi exitus lymphangoitis est, quae, nisi celerius longiusque serpit, curationi cedit. Oritur autem ex abscessu materia purulenta in vasa lymphatica se effundente, per quae deinde in glandulas lymphaticas deducitur pus, quibus inflammatis in alia itinera transfertur extenditurque. Quod si longius serpens in venam venit, phlebitis eamque excipiens pyaemia nasci potest, qui exitus plerumque fuit letalis. Modicus aegrotae progressus sanitatis restitutae, durante ex abscessu profluvio, lentique processus, quibus spissitudo indurationque partium affectarum paulatim tollitur, cum nullis conjuncti symptomatibus sunt, quae singularem exigant descriptionem. Historia ipsorum eadem quae reconvalescentiae est, quae alias tardius interdum, malo in tempore cognito adhibitaque apta medicina, citissime progreditur. Inclinatio rededeundi inque sede pristina se reproducendi et prius non affectam partem inflammandi huic morbo propria a medico nunquam est negligenda, et prognosis saepe debet et curatio ab illa pendere.

Parametritis acuta saepissime procedens in morbum chronicum exit. Praecipueque abscessus, etiamsi non admodum magnus est ipsorum ambitus, in statum chronicum transeunt, quibus plerumque per angustum continuationis meatum in intestinum se effundentibus, acgrota menses, quin annos, repetitis per anum puris effluviis obnoxia manet, quae ad telae cellulosae inflammationis impetum pluribus ante annis superatum referenda sunt. Hi abscessus chronici plerumque contrahuntur et fistulae, quae illuc ducunt, paulatim obliterantur, sed dantur quoque exceptiones, fistulis intra abscessus tela pelvis cellulosa inflammata exortas et vesicam, intra uterum, vel canalem intestinalem nascentibus. Saepe inflammatione laquei in ligamentis latis formantur, qui uterum torquent, sollicitant variaque incommoda parant, unde menorrhsgia et blennorhoeae exsistunt, post atrophia uteri genitaliumque,

quae in omnibus secretionibus normalibus, praecipue in mensibus imminntis, quae rarescunt, quin plane evanescere possunt, denique in turbata conceptione se indicat, Quod si tamen conceptio fit, semper abortus vel partus immaturus exspectandus est. Desiderium coeundi ad minimum reductum, quin saepe taedium coitus adest. Etiam anteflexio vel retroflexio uteri exsistere possunt', etiam tardior menstruatio insanabilisque menostasis. Orta uteri atrophia mox reliquum corpus in atrophiae societatem venit; nutricatio laborat, mammae laxantur, panniculus adiposus imminuitur. Utero constricto nervi uterini comprimuntur, soli nervi spermatici interni decursu ipsorum muniti non afficiuntur. Haec nervorum compressio plerumque sxmpathicum primo, deinde etiam spinale et cerebrale nervorum systema afficit, quae quidem affectio hystericam illam passionem cum symptomatibus omnibus tristique exitu se prodit.

Diagnosis morbi.

Diagnosis difficultates omnino non habet, modo hoc teneatur, ubicunque post partum abortumve incerta phaenomena febrilia doloresque abdominales oriuntur ibi haud dubie telam cellulosam circa uterum esse inflammatam, et quidem nec valetudine nimis turbata, nec doloribus admodum urgentibus. Quodsi inflammatio eam telae cellulosae partem occupavit, quae intra ligamenti uteri lati plicas versatur, primum in hac illave regione iliaca vagus abundantiae sensus percipitur, sonus percussionis imminuitur, compressio dolorem ciet, posteaque tumor circumscriptior deprehenditur. Nunquam tamen hic tumor ita est circumscriptus, ut terminos possis distincte persequi, neqne mobilis est, sed tanquam duram se substantiam exhibet, quae a transverso usque in superficiem parietis pelvis internam extenditur eique firmiter adhaeret, ac deorsum in cavum pelvis prominet, ut inferior ipsius circumscriptio sentiri non queat, dum margo superior inferiorque modo parum certo delineatur, quia spissi-

tudo horum locorum potius paulatim deminui, quam subito desinere videtur. Dimensiones horum tumorum semper majores apparent ab uno versus alterum latus, quam ab ima partem summam versus, superficies plana, sed praeter morem dura, atque in superficie plerumque comparet; abdominis tegumenta non facile supra eam demoveutur, saepe vero coaluisse videntur. Ac vere quidem nonnunquam coalescunt; quamquam idem saepe manus exploratrix sentit, ubi nihil plane est, cur ambos inter se diversas peritonaei superficies coaluisse putemus dum celeritas, qua conjunctio, quae videtur, nonnunquam solvitur, documento est a causa multo magis naturae transitoriae pependisse oportere.

Certa abdominis abundantiae universalis imminutio, mobilitasque supra tumorem primum salutis indicium est, quod saepe diu mutatum tumoris ambitum antecedit, quod quando fit, primo ambitus ejus imminuitur, adhaesiones eum inter et parietem pelvis minus firmas se praestant apparetque connexum maxime praecipuum non cum pariete pelvis laterali, sed cum quadam centrali ejus substantia, vel potius cum utero ipso constare. Usque ad extremum incerta manet deseriptio et vagus abundantiae sensus in regione iliaca remanet, postquam dudum omnia exsistentiae ipsius indicia reliqua evanuerunt.

Orta suppuratione pus, quotiens inflammatio ligamenti uteri lati partibus continetur, fere per vaginam vel canalem intestinalem viam sibi munit. Contra quando pelvis tela cellulosa simul est affecta, pus haud raro circa totum abdomen intra musculos et superficiem peritonaei externam serpit, et abscessus acuminatur perque ebdominis parietes in qualibet parte ligamenti Poupartii vel paulo infra hanc regionem perforat. Fit tamen interdum ut, licet fluctuatio per abdominis parietes manifesto sit observata abscessus tandem per vaginam rectumve erumpat.

Exploratio vaginalis plura etiam docet: vagina est calida, tumida, irritabilisque et prout haec illave sedes inflammata apparet, aut anterius, aut posterius illius labium spissum durumque observatur; uterue ipse ob hanc vaginae spissitudinem magis minusvs integer in pelvi figitur justoque altius erectum se ex-

hibet, ut non facile a digito exploratore attingatur. Quoniam tela cellulosa in plicis ligamenti uteri lati crebrius, quam quae alio loco continetur, est affecta, vertex vaginae hoc illumve latus versus ac plerumque in partem posticam circa uterum extensus praecipue notandus est, tamquam qui hos modos perquam significanter prodat, Mox etiam tumor distinctus praeter spissitudinem universalem, cumulatio et durities parietis vaginalis observatur, quae si ampla est, uterum in pelvis latus diversum protrudit. Si in latus versus sita est, plerumque non alte in cavum pelvis demergit, et licet intra manum extrinsecus appositam inque vaginam immissum digitum potest prehendi, tamen status abdomninis tegumenti et spissitudo laquearis vaginae impedimento sunt, quominus amplitudo illlius circumscriptioque accurete possint definiri, Si malum, ut saepe fit, in partem anticam vel posticam extenditur, facile tumor circumscriptus nascitur, qui plerumque amplior evadit distinctiusque circumscriptus, si post uterum est situs, quam si telam cellulosam ante hoc organon occupavit, Si tela cellulosa intra uterum et vesicam ac secundum anteriorem vaginae parietem inflammata est, duram, spissam tumidamque vaginam prope ad exitum pertinentem et os uteri tumore ante locato plane e digiti regione pulsum licet observare, quae quidem protuberantia non distincte est circumscripta, sed in spissum vaginae parietem anteriorem transiens. Magna hoc loco puris copia cellecta amplitudo tumoris pelvis plerumque non admodum crescit, sed distincta, sat circumscripta uterum inter et vesicam protuberantia nascitur, potestque per abdominis parietes eodemque loco atque ejusdem amplitudinis, cujus est semiextensa vesica urinaria, percipi. Altera ex parte sedes supparationis pone uterum tumorem admodum distincte circumscriptum solet efficere, hac enim regione majus est quam alibi impedimentum, quominus tumor extrorsum e pelvi patescat, dum tela cellulosa rectum inter et vaginam copiosior est laxiorque quam alibi circa uterum ipsum. Quocirca hoc quidem loco suppuratio celerrime nascitur tumoremque excitat, qui totam pelvis partem posteriorem occupat, quique omnino intentus plerumque ea quae per rectum

vel vaginam percipitur parte proprie mollem atque elasticum se exhibet; unde licet suspicari spissitudinem ipsius imminutam ac pus haud dubie hoc loco esse perforaturum.

Diagnosis differentialis.

Parametritis cum multis morbis potest confundi, quum permulta in ejus initio, sede ac specie cum aliis malis appareant similia; sed quaestione accuratius instituta multitudo rerum eam ab aliis morbis distinguentium se ostendit. Ante omnes morbos alios membrorum sexualium tumores ovarii cum parametritide possunt confundi. Sed si moibus ab ovariis proficiscitur, medicus accnratius examinans pleramque levem ad partem affectam pertinentem molestiam symptomatibus acutioribus jam aliquantum antecessisse inveniet: aut haec ipsa solito diutius, si inflammationis ligamenti uteri lati sunt indicia, permorata esse. Ceterum memoria tenendum est accessum inflammationis primum esse tumoris ovarii symptoma, idque potissimum in crinium adipisque cystis ovarii fieri solere. Sed tum etiam inflammatio raro se extendit in telas vicinas, ut ovarii tumor saepissime adhuc moveatur, aut si tam firme inter uterum et pelvis parietem cuneatus sit, ut movendi facultatem amiserit, tamen requirimus spissitudinem atque laquearis vaginae indurationem cum inflammatione ligimenti uteri lati partiumque cum eo cohaerentium conjunctas. Atpue etiam tumor sive per vaginam, sive super ramum horizontalem ossis pubis animadvertitur multoque certiores formas exhibet, quam tumor ligamenti lati inflammatione effectus prae se fert; quum denique in multis casibus uteri specillo fieri possit, nt tumor juxta uterum situs ab eo separetur. Etiamsi initio nonnulla in dubio relinquantur, tamen observatio per tempus pro ratione breve continuata semper fere omnem dubitationem tollit. Sed ut non ita esset, tamen inflammatio certo paene in suppurationem ac puris perforationem exibit, licet fortasse per canalem, qui in conspectum non cadit.

Tumor deinde imminuetur, etsi aliquantum duritie potest augeri, donec tandem lente abit, quum ovarii tumor e contrario augebitur ejusque ambitu increscente fluidum in eo esse magis magisque clare cognoscetur.

Parametritidis tumor etiam cum typhlitide possit confundi, sed in ea sedes tumoris momentum affert, quod typhlitis potius in summum versus jacet et statim a primo cum peritonitide est conjuncta, id quod in parametritide non observatur. Ne peritonitidis conconfusio fiat, exigua inflammationis obstat extensio, quae in parametritide plerumque circumscripto tantum spatio pelvis regionis coërcetur. Nec non est tumor in peritonitide durior ac distentior, quam malo altius haerente. Integumenta rubescunt, splendescunt, intumescunt idque inferius, quam partibus, quae lato uteri ligamento continentur, inflammatis nec usque ad regionem inguinalem, Copia puris collecti in hujuscemodi casibus complures uncias solet explere; abscessus deinde acuminatur aliquo loco omnique materia per unam perforat fistulam. Sed interdum, ubi inflammatio est in uteri aut pelvis tela cellulosa, ea quae extra peritonaeum sita est, leviter tantum afficitur, non per directum affectu se ad eam propagante, sed potius sympathia quadam, quo in genere haud rare duo tresve puris foculi circumscripti se conformant, quorum quisque peculiarem requirere potest effusionem.

Exostoses pelvis a parametritidis tumoribus duritia se destinguunt ac immobilitate, atque atiam anamnesis, quominus fiat confusio prohibet. A fibrosis uteri tumoribus eo differt tumor parametritidis, ut nunquam sit adeo distincte circumscriptus, ut termini ejus definiri possint, nec mobiles appareat, ut fibrosus uteri tumor; sed dura est tactu substantia in latere usque ad internam pelvis parietis pertinens superficiem. Etiam dimensiones in hisce tumoribus semper sunt multo majores ab uno latere ad alterum, quam ad supremam ab infima parte; quo ab uteri tumoribus differunt.

Psoitis eo discrepat cum parametritide, ut ea affectae nec ire nec stare queant aegrotae, ab eamque rem femoribus in genu flexis et ad corpus attractis, in lecto jacent, quum magni eas dolores, ne alio statu

utantur, impediant, quo psoadem musculum atque iliacum internum extenuant. In parametritide affectis haec quidem symptomata non observantur.

Quaestione diligentius instituta vix fieri posse arbitror, ut in parametritidis tumorum natura erretur, nisi, quod raro fit, in extravasato sanguinis in telam cellulosam pone uterum facto, quae vocatur haematocele retrouterina. In hac quidem tumor eodem loco suppuratione effectum tumorem accuratissime exaequat. Subitus tamen impetus haematocelae retrouterinae, immunitas partus vel abortus, duritia ac spissitudo, quae plerumque desunt, vaginae parietum in tumoris ambitu, ut duo status facilius discernantur perficient.

Prognosis.

De vitae periculo fauste se habet, quum mors nonnisi rarissime communi purulenta peritonitide celeriter, aut suppuratione extenuanti lente afferatur. Sed de rebus inde sequentibus. de coalescendi ratione, de ferruminatione, de situs commutationibus, de sterilitate, de hysteria aliisque variis molestiis prognosis est dubia ponenda, quamquam sane morbi abitum haud admodum raro nihil consequitur. Si morbus epidemicus exsistit, prognosis e natura epidemiae expendet. Jam vero propagatio ac celeritas exsudati formationis momentum habent, quae quo major, quo copiosior est, eo deterior; quo maturius post partum morbus se explicat, eo est perniciosior. Si vestigia adsunt decisi intra vel extra peritonaeum pelvis abscessus, in universum quidem prognosis non est adversa, sed morbus diutius perseverat, deterrima species est psoadis abscessus. Bonum pus loco circumscripto perforans, magis omnino opportunum. Ab uteri vel ovariorum tumoribus si morbus profectus est, prognosis ad naturam horum tumorum se accommodat. Tumores benigni, polypi, tumores fibrosi, alii in universum bonam praebent prognosin, quum his praecipuis malis sublatis morbus ut consistat effici possit. Infausta est prognosis in tumoribus malignis, carcinomate, aliis

quia ob celere incrementum rapidamque cxtensionem et universalem aegrotae cachechsiam de exquisita curatione cogitari non potest.

Therapia.

Curationem hujus morbi expendentes exitum ejus perquam diversum fore veresimile esse cognoscemus, prout suppuratio est nondum mota, aut jam evenit. In priore genere aliquot dies satis erunt ad omnia morbi vestigia removenda in altero saepe hebdomades mensesque, antequam sanitas imperfectissime tantum restituatur, praeteribunt. Morbus incipiens ne latius progredi possit, nulla opus est admodum severa tractatione. Duodecim hirudines coxae, quae dolet, vel etiam tres quattuorve ossi uteri bis applicatae calidum saepe renovatum et per horas sex et triginta vel dudequinquaginta continuatum cataplasma aut etiam vesica glacie referta ad locum dolentem applicata abdomen unguento cinereo inungere, leve aperiens (ol. Ricini aut Inf. Sennae), mite et inflammationi repugnans remedium, Calom. vel Acida, et opiata ad levandos dolores aegrotaeque noctu placidum somnum conciliandum, diaeta in universum leni neque excitanti adhibita, haee sunt simplicia planeque sufficientia remedia, quibus symptomata impugnari queunt. Si dolor sensibilitasquc prima depletione non tollantur horis viginti quatuor proximis iterum sex hirudines apponi licet, sed crebrae sanguinis depletiones non optandae sunt. Sensus fastidiosus doloresque, qui saepe restant, sanguinis copia juste detracta, nec raro magna cum abundontia loci affecti conjuncti sunt, valde in melius mutari solent et saepe prorsus removentur applicato unguento ex ℥jj Belladonnae et unguent. ciner ʒvj composito, quod linteo dense illitum et pauno serico cerato velatum singulis quattuor et viginti horis renovatur, Si praeter dolores in uno alterove latere abdominis dysuria vel tenesmus vel inclinatio vel multi dolores ac molestiae in pelvi exsistant, haud dubie exploratione per vaginam perque rectum instituta, ap-

parebit non uteri appendices solas esse affectas, sed etiam telam cellulosam inter rectum et uterum aut inter hunc et vesicam positam. Quo in genere quattuor vel sex hirudinibus ad uterum ipsum speculi ope applicatis, tanta afferetur levatio, quanta frustra quadruplari earum copia extra apposita, unquam invenietur.

Quum omnis febris remisit nec nisi parvus loco inhaerens dolor ac sensibilitas et forte rigor quidam in extremo latere affecto relicti sunt, saepe parvum vesicans, quod vesicas non opus est contrahere, magnam praebet utilitatem idque bis terve totidem interjectis diebus repeti potest, ita ut locus permutetur, ne ulcus molestum enascatur. Multis in casibus quod ipso initio videri licet, symptomata confestim abeunt, semel hiridinibus applicatis. Temperiem permutatam evitare et maturiorem omnis generis motum in hoc morbo est maximi momenti per totum reconvalescendi tempus. Quamdiu tantillus doler restat, aut sensus fastidiosus, qui in premenda regione ilaca percipitur, aut supra ossa pubis, aegrota non potest tuto e lectulo surgere aut semel ipsa ex habitu jacentis se movere; nam periculum est, non solum ne perlevis causa inflammationem in prima ejus sede exacerbet, sed etiam, ne oppositum quoque latus malo corripiatur. Etiam sanitate plane restituta menstruationis reditus nec non periodus, qua menses necesse est se ostendere, diligenter observanda sunt et omni redienti dolori aut etiam molestiae omnique febris tentationi statim sanguinis loci depletione repetita ac prioribus iterum adhibitis cautionibas et curatione occurrendum est.

In plerisque tamen casibus malum priusquam animadvertatur et apta ei curatio adhibeatur, jam latius processit nec solum sensus tumoris in abdominis latere, quod dolore aegrota conqueritur, sed jam distinctus tumor in externis aut internis partibus examinandis conspicitur. In his quidem rebus sanitatem celeriter restitutam iri sperari non potest, sed tamen etiam impetrari potest, ut abundans puris confirmatio praecaveatur et fluidum sero-purulentum jam se effundens copiosius absorbeatur tumorque se resolvat. Hirudines non minus apte in eo applicantur, quam in prioribus mali momentis. Quum tamen id compluries repeti

haud dubie utile futurum sit, plures sex octove simul apponi raro optandum est. Calor cataplasmatis non minus placet, quam incipiente affectione, quod, si nimis accrescunt dolores, non aqua, sed Opio misceri licet, quo fit fortissimum sedativum.

In casibus jam usque ad tumorem conformatum progressis mitis mercurii praeparati doses omnino locum habent, quae ne malum diffundatur prohibeant et absorptionem inflammatione procreatorum accelerent. Ut in plurimis loci inflammatione vehementissimi dolores noctu adesse solent ideoque anodyno plerumque ad vesperum opus est, camphorae, gr. v. pr. dosi, magna cum utilitate opiato cuivis admiscentur. In hoc momento est raro perquam methodus antiphlogistica conveniens. Ius bnne cum bubula paratum nec non plerumque vinum ac Tonica necessaria sunt. Canalis intestinalis irritatio usum Chinii contraindicat. Liquor Cincbonae, quod praeparatum minime habet injucundam vim adventitiam, praeferendus est.

Lente ac paene sensim, prout symptomata perturbatac constitutionis remittunt, in casibus quibusdam etiam tumoris ambitus decrescit, donec tandem nil nisi incerta spissitudo ut extremum ejus residuum superest. Is tamen est prosper exitus, quum distinctus tumor jam ortus est. Qui saepe, etiamsi universa symptomata paulo se minuant, augescit, distentior fit et tactu magis elasticus, sensus quidam vagus fluctuationis alte haerentis digito impertitur et per hebdomades perseverare potest, quin distinctior fiat, quoad postremo abscessus per uuum alterumve canalem se exonerare coepit.

Puris perforatio naturae potius relinquitur, tantum ubi inflammatione tela cellulosa extra peritonaeum sita correpta est eamque ob rem abscessus in abdominis parietibus se explicat, punctio indicata est. In his quidem casibus pus perquam cunctanter in superficiem prorumpens interdum vesicatorio applicato maturari potest; sed ne ita quidem, quamdiu partes interpositae magna sunt spissitudine, incisionem facere est utile. In casibus, qui multo crebriores sunt, ubi malum in pelvis cavo haeret, pus aut per vaginam aut per rectum perforare studet et punctione adhibita decursum,

quem illud capere possit saepissime frustra nec semper certo praevenire coneris. Normalis partium ratio inflammatione valde permutata est; tumor ac distentio vaginae parietum longe trans fines puris focum circumscribentes se extendunt et admodum fieri potest, ut scalprum feriatur idque prope puris foeum perviniens, sed tamen eum non offendens.

Extentio tumorisque rationes accuratissime definiri queunt ideoque punctio certissime adhiberi, si tela cellulosa inter vaginam et rectum sita sedes fuerit inflammationis. Troicartus in vaginam inductus plerumque pus attinget, si ejus exsistentia perspicue indicatur. Aegrotae curatio, abscessu perforato, nulla eget regula peculiari. Praecipuum discrimen casuum in quibus fit puris exoneratio eorumque, ubi hoc aut omnino secretum aut iterum opressum est in majore debilitate constat, ad quem aegrota in priore genere redigitur. In eo tonica et irritautia ante omnia sunt indicata.

Contra spissitudines, si quae restant, nihil agi potest, sed de tempore optime sperandum est. Saepe applicata vesicatoria ad dolores sensusque injucundos, qui multo ceteris symptomatibus superstites esse possunt, levandos pertinere queunt. Contra spissitudines unguentum Jodi in vaginam applicatum aut extra ut tinctura Jodi penicillo inducenda una cum Jodkalio interne adhibito (ʒj: ℥vj Aq.) forte etiam Mercurii (Hydrarg. bichtor. corros.) praeperata diu continuata ut resorbentia commendanda sint.

Pars olinica.

Nonnullae morbi historiae.

I. Augusta Tempel, viginti unum annos nata, caelebs die XXVIII, mens. Maj. primipara normaliter peperit. (Infans scrophulosi laborabat, residua e magnis cicatricibus cubiti sinistri cognoscere licet, item dextri et manus sinistrae.) Sexto puerperii die puer-

pera de doloribus in regione hypogastrica querebratur; uterus locum normalem repetierat, latera ejus imprimis dolebant. Aegrota febri correpta. Pulsus 114. Praetcrea de dolore capitis, multa siti querebatur.

Med: Unguent. Hydrarg. cin; Inf. Digit. (e 3 β) ℥vj

4|6. Aegrota parum dormiebat. Pulsus 104; dolores vehementiores; in exploratione interua tumor inflammatus observatur, praecipue sinistra ab utero parte ejusque superficie posteriore. Tumor ab utero sinister per tegumenta abdominis manu percipi potest, tenditque ad sinistrum pelvis parietem. Tumor post uterum, hemisphaerio similis, usque ad rectum recurrit, idque comprimens vehementes ossis sacri dolores et tenesmum efficit.

Med: Hirud. medic. Nr. X in reg. hypogast. sinist. applicantur.

6|6. Abdominis dolores paullisper cesserunt. Puls. 96. Oleo Ricini dato heri tempore matutino aliquoties sedes solidioribus massis mixtae fuerunt. Propter tenesmum heri adhuc remanentem clysmata tepida decocti lini facta hodieque iterata.

7|6. Febri hodie increscente, puls. 114, doloribus ex exacerbatione inflammationis praeter uterum vehementioribus in regione hypogastrica, doloribusque ossis sacri auctis, inunctiones Unguent Hydrarg. cineri et fomenta facta, praeterea Calomel. dos. VI. gr. jj. pro dosi praebitae.

9|6. Hydrargyro muriatico miti hausto aegrota satis bene se gercbat, dolores in regione hypogastrica valde moderati, item dolores ossis scri. Puls. 96. lingua humida, parum sitis. Sedem Hydrargyrum muriaticum mite non effecerat. In exploratione per vaginam facta, quum massae solidiores in recto perciperentur oleum Ricini vesperi mandatum est; hodie aegrota magis queritur de doloribus abdominis. Puls. 108, tumores integri. Semel tantum sedes sine tenesmo.

Med: Vesperi ol. Ricini, fomenta.

14|6. Inde ab die IX mensis Junii morbus variabat, nonnunquam molestiis tum diminutis, tum exacerbatis. Hodie tumorem sinistrum itemque illum, qui est post uterum, minorem factum observamus. Aegrota tamen de vehementibus in regione hypogastrica

dextra doloribus queritur. Jam exploratione externa tegumenta abdominis inflata videmus, ac prementes tumorem a linea alba ad dextrum pelvis parietem tendentem animadvertimus, in exploratione igitur interna tumorem in dextra uteri parte reperimus. Aegrota per noctem saepius vomitare coacta, sedes tenues, aquatiles cum tenesmo conjunctae; lingua magis tecta, quam antea. Puls. 120.

Med: Inunctio unguent. Hydrarg. ciner; saturat. Kalii; Morph. acet. gr. $^1/_6$.

18|6. Aegrota per hos tres dies antecedentes magis querebatur de doloribus in regione hypogastrica dextra. Status loci est idem utque antea fuit, inflammatione partis dextrae incipiente. Canale intestinali irritata, doloribusque permanentibus aegrota Emuls. semin. papav. cum Tinctura Belladonn. gutt Xjj haurit.

30|6. Tumor sinister et posterior vix animadverti possunt, sed inflammatio partis dextrae valde progreditur. Quum in exploratione interna summum tantum laquearis resistens animadvertamus, inflammationem hic minus in tela cellulosa prope uterum esse, sed involucrum parietis pelvis dextrae, tum in superiore parte minoris, tum praecipue majoris pelvis occupasse credas. Ante hos octo dies aegrota crus dextrum se extendere non posse questa est, quare inflammationem etiam in dextrum posteriorem pelvis parietem transiisse constabat. Ultimis diebus tumor sub ipsis abdominis tegumentis jacere et prominere videtur, ita ut fieri possit, ut tegumenta abdominis perforet. Therapia talis erat ut inde ab 18|6. saepius oleum Ricini daretur, quum perityphlitidis causa obstructio alvi adesset, deinde propter dolores saepe exacerbantes Morph. acet., atque quum jam valde infirma esset, lac.

1|7. Dolores dextrae partis etiam altius procedunt usque ad regionem trium ultimarum costarum; respiratio dolorosa; spatia intercostalia plana. In auscultatione respiratio non auditur in his locis. Percussio tonum obtusum demonstrat. Ne inflammatio ad diaphragma et pleuras transeat, cucurbitae applicantur. Aegrota hodie minus questa de doloribus in regione inferiorum costarum dextrarum, quum vespere quoque Morphium hauriat, somno tranquillo utitur.

2|7. Doloribus hodie tempore autemeridiano in dextra parte auctis et usque ad postmeridiem crescentibus, vesperi vehemens desidendi voluntas apparuit, ubi aegrota cc. 1½ quadrantes subflavi fluidi exiguis massis mixti edidit. Fluidum purulentum apparuit et male oluit. Globuli purulenti sub microscopio visi probaverunt illud judicium. Vespere abdomen in regione mesogastrica et epigastrica declivius erat minus doloribus affectum. Pulsus parvus, 120.

3|7. Hodie quoque semel desidens fluidum purulentum agrota eddidit. Alvi dejectio quamquam repetita est, abdomen, si non eandem atque alias habet formam, at hodie magis prominet dextra regione mesogastrica quam heri. Pulsus parvus, 116. Possis igitur conjicere massas purulantas adhuc adesse.

5|7. Hesterno vespertino tempore arteriarum pulsu exiguo, respiratione accelerata sine expectoratione Infus. Arnicae ʒjj: ℥vj et Liq. Ammon. anis. ℈jj praebita. Hodie pulsus minor quidem, 120, respiratio vero profundior; dolores dextro in latere adhuc exstant.

15|7. Massae purulentae non amplius editae. Abhinc d. VIII m. Julii aegrota morbo convalescit. Hoc die dolores sunt comminuti, persona faciem meliorem praebet, appetitus crescit, vires augentur.

27|7. Aegrota paullatim quidem convaluit sed continentur, dextra in parte dolores non amplius adsunt, tumor quoque non animadvertitur; propter sedes inordinatas interdum medicamenta laxantia mandantur.

28|7. Hodie aegrota, parametritide difficillima feliciter superata, sana ct salva nosocomio decessit.

II. Albertina Hummler, ancilla, viginti quatuor annos nata, de VI m. Maj. iterum pariens partum praematurum edidit. Infans natibus praeenntibus natus est. Tertio die puerperii puerpera de doloribus in regione hypogastrica questa est, praecipue dexter uteri margo erat sensibilis. Pulsus accleratus, 108. Frigus leve hoc die aliis symptomatibus antecessit.

Med: Ungt. Hydr. ciner; Infus. Digitalis ʒβ: ℥vj.

9|5. Abdominis sensibilitas heri jam decrescebat, hodie iterum accrevit; digito palpanti molle se praebuit, uterus contractus 1½ digitos infra umbilicum stetit. Nocte hodierna aegrota complures sedes li-

quidas, minoribus massis solidioribus mixtas edidit, pulsus 108.

11|5. Pulsus hodie 84, lochia normalia.

Med: Cochl. olei Ricini.

12|5. Puerpera hodie iterum melius valuit, pulsus 84; placide dormivit. Oleo Rieini heri accepto sedes liquidae erant editae.

13|5. Pulsus 84; aegrota statum suum retinuit, placido somno usa.

15|5. Persona sana est dimissa.

III. Eleonora Bartsch, ancilla, XXVI annos nata, e pago Gabitz oriunda, primipara die XXII mens. Maj, facile peperit puellam, sex libras et quinque semuncias gravem, capite praemisso. Tempore matutino hora quinta parturiens in nosocomium venerat ore uteri in palmae magnitudinem aperto atque hora decima matutina peperit. Postridie quam peperit puerpera optime valuit.

24|5. Puerpera nocte se esse horrore jactatam queritur. Eadem doloribus in regione hypogastrica se esse affectam lamentatur; inprimis laterales uteri partes externos appulsus facillime sentiunt. Heri usque ad umbilicum uterus pertinuit, item hodie. Pulsus frequens, 120. Lochia plerumque larga, assidui capitis dolores, sitis aucta.

Med: Acet. Digital; inunctio unguent. hydr. ciner.

Vespere: Pulsuum idem numerus, 120. Exploratio interna temperationem vaginae auctam demonstrat. Laterales uteri partes plerumque sensibiles, tumidae. Pectora tumescere incipiunt.

Med: Clysmata.

25|5. Aegrota paulla melius valet. Somno satis bono usa est; pulsuum numerus auctus est, 116. Laterales uteri partes paullo minus sensibiles. (Aegrota hesterni diei tempore vespertino clysma accepit.) Lingua humida, sitis adhuc magna.

Vespere: Pulsus 96. Uterus digito profundiorem accupavit locum, quam nudius tertius. Capitis dolor, qui hodie mane satis gravis adhuc erat, decessit. Diarhoea accessit, quinquies consecuta est sedes fusca, tenui pulti similis. Puerpera multo melius, quam

mane, se dicit valere; uterus paullullum tantum est sensibilis.

26|5. Puerpera satis bono usa cst somno. Pulsus 96; lingua humida, albicans; sitis diminuta; abdomen molle; regio uteri adhuc mediocriter tantum est sensibilis. Sequuntur compluries sedes tenui pulti similes. Lochia uormalia.

29|5. Universa valetudo melior est, item topica symptomata. Pulsus 84. Uteri dolores cesserunt.

Paucis diebus post puerpera sana nosocomio decessit.

IV. Hermina Laubert, ancilla, XXVI annos nota, usque ad XXIII aetatis annum sana erat, quo tempore quinque menses typho laborabat. Quattuordecim abhinc diebus puellam peperit normali graviditatis exitu. Inter graviditatem semper bona utebatur valetudine. Partus duravit inde ab hora nona vespertina usque ad horam alteram post mediam noctem. Sequentibus diebus puerpeıa optime se habebat, quam ob rem die quinto resurrexit. Lochia huc usque erant normalia. Vespere hujus diei frigore quassata est, quod vehemens calor secutus est; praeterea nocte magni in abdomine dolores exstiterunt. Frigus calorque postridie adeo accreverunt, ut iterum tecto affigeretur. Lochia prorsus sunt intermissa Symptomata, quae dixi, usque ad hodiernum diem eadem manserunt, quam ob rem ut nosocomio se traderet, coacta est.

8|6. Status praesens. Persona satis valida. Temperatio 40, 5; pulsus 120; cutis urens, ubdomen inflatum, valde dolens. Palpans supra symphysin manus latitudine paullo altius tumorem invenis in profundo, qui certis finibus circumscribi nequit et medio jacet idem in sinistra parte. Percussione normalis tympanitis sonitus efficitur, qui supra symphysin in manus latitudinem paullum languescens in latitudinem trium circiter digitorum supra symphysin in sonitum inanem transit. Exploratio interna haec docet: Portio vaginalis inferiorem tenet locum, in dextram partem versa atque mollis est; os uteri in obliquum est deflexum ita, ut digito possis in id penetrare. Laquaer vaginae in sinistra parte panllum est deflexum. Per rectum sentis tumorem forma subrotunda, qui tam al-

tum tenet locum, ut, nisi externis digitis, eum non possis attingere. Lochia exigua et subflava. Sedes inde a die VI. h. m. non est consecuta. Appetitus parvus, lingua albicans.

Med: Hirudines Nr. XII. applicantur abdomini; Colomel. grβ; Morph. gr. $^{1}/_{12}$ ternis horis.

9|6. Temperatio 40, 1; pulsus 100. Aegrota melius se habet. Abdominis dolores aliquantum decreverunt, neque idem pariter inflatum est. Exploratione interna specillo adhibito efficitur uterum quinque tantum centimetros esse magnum. Lochia adhuc exigua. Sedes nondum consecuta est.

10|6. Nocte aegrota fere nihil dormivit, de doloribus in abdomine et osse saero vehementibus questa. — Temporatio mane 40, major igitur quam heri vesperi, quo fuit 39, 3; pulsus 92, modice frequens. Ad lucem abdominis dolores rursus paullo minores sunt.

11|6. Pulsus 92, temperatio 40, nocte somnus bonus. — Mane febris est levior quam heri; sed multum sudat aegrota. — Abdominis nulli dolores; sedes bis est secuta continua. Aegrota de singultibus queriter nonnunquam editis ac de doloribus gingivam leviter afficientibus. Gingiva paullum laxata est, pressamque sanguis facile sequitur.

Med: Aqua Selteri, cataplasmata; oris eluendi causa Infusum Salviae cum Alumine.

12|6. Pulsus 100; Temperatio 40. Mane febris vehemens sudorque largus. Abdominis nulli dolores. Aegrota de vehementibus queritur singultibus. Appetitus paullo melior, sitis adhuc magna. Sedes semel est secuta. Abdomen pressum adhuc facile sentit.

Med: Tinct. Thebaic. gtt. vj ternis horis; sinapismus in regione abdominis.

13|6. Puls. 92. Temperatio 38, 3. Mane febris levis. Aegrotae valetudo melior. Singultus manifesto decreverunt. Sedes abhinc horas XXIV. non est edita. Ordinatio eadem.

14|6. Pulsus 84; temperatio 38, 5. Mane nulla febris, nulli abdominis dolores; appetitus melior; sedes abhinc duos dies non est consecuta. Mingendi nullae difficultates.

Med: Tinct. Thebaic. gutt. v, quaternis horis.

19|6. Inde a die XIV.mo usque ad hunc diem temperatio valde est diminuta; quae d. XV.mo erat 38, 3; d. XVI.mo 38, 2; d. XVII.mo 38; d. XVIII.mo 34, 5; hodie est 34, 3; pulsus 78, plenus quidem sed non acceleratus. Valetudo subjectiva satisfacit. Tumor, quem per abdominis tegumenta licet percipere, pressus minus facile sentit ac supra symphysin latitudine tantum trium circiter digitorum obliquorum prominet. Lochia e vagina exeuntia minus mali sunt odoris, minus larga, magis albicantia.

Med: Emulsio Ol. Ricini (℥j : ℥vj), alternis horis cochleare.

21|6. Pulsus 72. Valetudo subjectiva bona, febris nulla, nulli abdominis dolores. Tumor supra symphysin non amplius percipitur. Ordinat. eadem.

23|6. Pulsus 68. Mutatio nulla. Vires paullum auctae. Ord. Syrup. ferri jodat.

30|6. Aegrota optime se valere sentit; ac re vera virium status manifesto melior est factus.

Aegrota, ut dimittatur, expetit.

V. Rosalia Reichert, operarii uxor, XLIII. annos nata, tribus annis, deinde semestrio ante per hiemen pneumoniam in latere sinistro superavit. Antea et tempore interjecto semper erat sana. Tribus abhinc mensibus aegrota febri correpta est magnis doloribus in abdominis sinistra fossa iliaca comitantibus. Cruribus motis, item pressu dolores valde aucti sunt. Accessit abnormis menstruationis reversio, quae semper tres vel quatuor vel quinque dies durabat. Quatuor vel quinque hebdomadibus post aegrota ad sanitatem redierat; sed vix octo diebus praeterlapsis eodem morbo iterum correpta est. Quatuor abhinc hebdomadibus vehementi horrore jactata est, quem saepe etiam postero tempore calor excipiebat. Accesserunt magni, pungentes, acerbi in sinistra fossa iliaca dolores, qui cruris sinistri motu aut pressu externo valde augebantur, praeterea magni ossis sacri dolores, qui in crus sinistrum diffundebantur. Nec deerat universa corporis infirmitas, satis gravis febris, appetitus defectus, sitis aucta, sedes normalis, urinae sine labore dimissio.

27|6. Status praesens: Aegrota mediocri est magnitudine ac bona corporis structura; musculi sunt paul-

lum degenerati, nutritus universus haud ita laetus; cutis paullnm calida. 38, 8; paullum humida; pulsus modice frequens ac resistens, paullum acceleratus, 100. Aegrota de magna infirmitate, appetitus defectu, siti aucta, imprimisque de doloribus in abdomine et osse sacro, qui in interiorem femoris utriusque superficiem effundantur, queritur. Nullae mingendi difficultates; lingua humida, paullum obducta, sedes normalis, urina panllum salibus saturata, satis multi continens sedimenti, 1015; cor et pulmones sana. — Abdomen paullum est inflatum et in sinistra fossa iliaca, cujns in profundo nodi inaequales, juglandis fere magnitudine, conglobati percipiuntur; pressus facillime sentitur. — In exploratione per vaginam facta, eam ipsam sentis calidam, portionem vaginalem paullum depressam et promotam, orificum externum obliquatum, extremis digitis non penetrabile, laquear posterius paullum depressum, idemque pressnm facillime percipiens magisque resistens. Portio vaginalis duritia cartilagini similis aucta est.

Med: Hirudines No. XII. applicantur abdominis sinistrae fossae iliacae; deinde cataplasmata, singula singulis diebus balnea calida. Intus: Infus. Sennae comp. singulis horis singula cochlearia, donec complures sedes consecutae sunt. Balneum tepidum per horam dimidiam.

28|6. Puls. 96. Applicatis hirudinibus statim dolores decreverunt, qui hodie quoque minores sunt, quam heri. — Mane febris mediocris; sedes sexies facta, pulti similis; vespere parvae febris exacerbationes; pulsus 104.

29|6. Puls. 88. Nocte placidus somnus. Valetudo subjectiva satis bona, dolores parvi, febris minor, quam heri. Sedes ter facta, pulti similis. Ord: Emuls. Olei Ricini (℥j : ℥vj), alternis horis singula cochlearia.

30|6. Pulsus 84, temperatio 38, 3°. Valetudo subjectiva satisfacit. — Vespere pulsus 84, temperatio 38, 1°, nullae febris exacerbationes.

1|7. Pulsus 76. Nocte placidus erat somnus, mane nulla febris. — Spontanei nulli exsistunt dolores. Pressus in sinistra parte Hypogastrii adhuc facillime sentitur. Appetitus melior, lingua modice obducta, sitis non aucta, sedes bis facta, pulti similis.

Mingendi nulla difficultas. Aegrota de doloribus acerbissimis, qui in sinistra fossa iliaca inter alvi dejectionem exsistant, queritur.

Ordinatio eadem.

2|7. Puls. 80. Nulla febris Positione quieta utens aegrota nullis afficitur doloribus. Pressum adhuc sentit in sinistra fossa iliaca, cujus in profundo resistentiam quidem percipis paullum auctam sed tumorem nullum certis finibus circumscriptum.

4|7. Pulsus 72. Nulla mutatio ad morbi naturam pertinens. — Appetitus bonus, sedes quotidie bis vel ter facta, pulti similis. Ord: Kalii jodat. (ʒj : ℥vj), ter quotidie singula cochlearia.

8|7. Pulsus 72. Valetudo aubjectiva satisfacit. Pressum gravem aegrota aliquantulum sentit in sinistra fossa iliaca.

Ordinatio eadem.

15|7. Pulsus 68. Aegrota neque spontaneis, neque pressu aut motibus factis, in abdomine afficitnr doloribus. In abdominis palpatione per ejus tegumenta nihil abnorme percipitur. Exploratio per vaginam facta res normales, nullam sensuum mollitiem exhibet. — Vires manifesto auctae, appetitus bonus, sedes normalis et facilis.

21|7. Aegrota semet ipsa optime valentem sentit ac satis firmam.

22|7. Aegrota sana est dimissa.

VI. Johanna Kubitzke, coqua XXVII. annos nata, usque ad XXVum actatis annum sana erat, quo tempore per octo hebdomades febri intermittente laborabat. Menstruatio XX° aetatis anno exstitit semperque normalis nunquam nimis larga erat. Quinque abhinc annis infantem peperit. Kalendis Aprilibus menstruatio rediit ac, postquam tres dies duravit, iterum exorta est a. d. VI. Id. Apriles, duravitque usque ad. d. V. a. Nonas Majas. Qua re aegrota infirma facta est. Inde a fine mens. April. in dextro hypochondrio dolorem sensit pungentem et crus dextrum nisi cum dolore non poterat movere. Crescentibus doloribus aegrota a. d. V. Id. Maj. in nosocomium se contulit.

12|5. Status praesens: Persona mediocriter valida. Pulsus 78. Temperatio mane 38, vespere 38.

Aegrota de doloribus in abdomine supra symphysin maximeque in utroque hypochondrio vehementibus queriter. Abdomen mediocriter inflatum, si supra symphysin premitur, dolet. Exploratio interna haec docet: Portio vaginalis aucta est et dura locumque tenet profundum et symphysi adversum, os uteri apertum est ita, ut extremis digitis eo possis penetrare. In posteriore laquearis parte uterus auctus percipitur. — Lingua paullum tantum obducta, appetitus fere non turbatus. sedes inde a die X^0 h. m. obstructa.

Med: Hirud. No. IV. portioni vaginali applicantur. Intus: Infus. Sennae comp.

13|5. Aegrota optime valet. Dolores in abdomine mirum quantum decreverunt, quod quidem hodie magis est inflatum pressumque gravem supra symphysin cum dolore sentit. Sedes bis est consecuta, lingua libera, pulsus 72, temperatio 34, 5,

15|5. Doloribus refricatis iterum IV. hirud. ori uteri applicantur. Sex horas sanguis e vulneribus manavit.

11|5. Aegrota valde levatam se sentit; pulsus cc. 90 in sexagesima horae parte. Iterum datum est Infus. Senuae.

16|5. Aegrota satis bene se habet, postquam quater sedes consecuta est.

18|5. Aegrota de vertigine queritur et languore, pulsus tardatus: 60.

19|5. Infirmitas adhuc adest; praeterea aegrota de doloribus oculorum et vertigine queritur; dolores in abdomine decreverunt ac motu tantum sentiuntur, sed modice. Propter anaemiae symptomata Syrup. ferr. jod (ʒjj : ℥jv) datus est. Pulsus 60, cutis temperatio 37

24|5. Puls. 72. Aegrota paullo validiorem se sentit ac raro de capitis vertigine queritur. Ceterum valetudo subjectiva est bona. — Abdomen in utraque fossa iliaca abliquantulum est sensibile. — Lochia e vagina non amplius exstant.

25|5. Aegrota, ut dimittatur, expetit.

VII. Augusta Grabolle, ancilla, XXIV. annos nata, antea se semper fuisse sanam affirmat, neque ullis infantium maxime propriis morbis laborasse. Anno aeta-

tis vicesimo primam nacta est menstruationem, quae deinde exigua semper et brevis erat vehementibus ossis sacri doloribus semper comitantibus. Anno aetatis XXII⁰ acerbis doloribus infantem enixa est Ab eo tempore semper sana fuit usque ad d. XIII. h. m., quo die menstrua apparuerunt simulque vehementes ossis sacri et abdominis dolores. Aegrota perfrictione in morbum se incidisse putat. Menstrua, quae unum tantum diem duraverunt, mediocria erant. Die XV⁰ h. m. vehemens vomitus et diarrhoea secuta sunt, qua re aegrota d. XVI⁰ post meridiem in nosocomium venit.

Status praesens: Persona valida, pulsus normalis, cutis temperatio 37, 6. Aegrota de doloribus in abdomine vehementibus queritur, qui pressu mirum quantum aucti ad sinistrum potius, quam ad dextrum latus pertineant. Abdomen valde est inflatum. Praeterea d. XVIII⁰ vespere bis vomitum edidit; sedes admodum tenuis erat. Capitis quoque dolores et vertigo adhuc aderant. Exploratio per vaginam facta haec docuit: Vaginae tela soluta et laxa est perceptu, uterus satis profundum locum tenet, anteflexus; portio vaginalis tamquam embolus cono similis in vaginam prominet; margines oris uteri, quod paullum tantum apertum est, digito exploranti quasi hiantes se praebent. In exploratione interna mediocres sentiuntur dolores.

19|5. Appetitus parvus; lingua mediocriter obducta, sedes abhinc decem dies non est secuta; d. XVII⁰ quatuor hirudines portioni vaginali applicatae sunt, sed fere frustra. Ord: Aquae Amygd. ternis horis guttas X.

20|5. Pulsus 80. Dolores applicatis hirudinibus statim decreverunt, sed mane rursus paullum accreverunt.

Med: Hydrarg. chlor. mit gr. β; Morph. mur. gr. $^1/_8$ ternis horis; singulis diebus inunctio unguenti cinerei in hypogastrio.

22|5. Puls. 76. Nulla febris. Dolores in abdomine decreverunt sed non omnino decesserunt. Valetudo universa satisfacit. Ord: eadem.

24|5. Puls. 76. Dolores iu abdomine, nisi inferiorum extremitatum motu et pressu graviore, non sentiuntur. Aegrota de doloribus dentes et maxillas

trahentibus queritur; gingiva paullum soluta est ac nonnullis locis aliquantulum sanguinat.

Med: Aq. Amygd. amar gutt. XV, ternis horis. — Oris eluendi causa Infus. Salviae.

26|5. Puls. 72. Valetudo universa satisfacit. Aegrota cruribus motis parvos adhuc sentit dolores in sinistra fossa iliaca praetereaque de universa infirmitate, maxime de crurum languore queritur. Ord: Syrup. ferri jodat. (ʒj : ℥jjj), quater singulis diebus singula coohlearia, qualia infuso speeiei inserviunt.

31|5. Pulsus 70. Nulla mutatio. Vires paullum auctae.

3|6. Aegrota de majoribus ossis sacri et abdominis doloribus queritur; nulla febris. — Hypogastrium pressum quidem sentit praecipue in dextram fossam iliacam versus; sed neque hic neque in exploratione interna tumor percipitur.

Med: Hirud. med. No.: IV ad port. vaginal. — Injectiones tepidae.

4|6. Pulsus 72. Applicatis hirudinibus levatio modica est secuta

6|6. Pulsus 88. Aegrota ex hesterno vespere de majoribus in abdomine doloribus questa compluries fluidum evomuit e viridi subflavum muco mixtum, fellis instar amarum. — Nulla febris. — Hypogastrium in dextro maxime latere pressum facillime sentit; in ejusdem profundo resistentiam sentio auctam. In exploratione per vaginam facta aegrota nisi graviter pressa portione vaginali de doloribus non queritur. Portio vaginalis paullum promota est in sinistram partem. Laquear anterius in dextro latere paulum depressum nec non seusibile est. Tumor non percipitur.

Med: Calomelan. gr. β, Morph. gr. $^1/_8$, alternis horis. — Hirud. XII. ei abdominis parti, quae maximos efficit dolores, applicantur. — Cataplasmata.

7|6. Abdominis dolores, hirudinibus applicatis, statim decreverunt, sed nocte compluries vomitus editus est fellis instar amarus. Aegrota invicem modo aestu, modo frigore se affici queritur, augerique abdominis dolorum intentionem, qui usque in epigastrium effundantur; inter mingendum urentibus afficitur doloribus; pulsus parvus, magis compressus, frequens,

108. Respiratio paullum accelerata, sitis magna. — Abdomen paullum est inflatum maximeque in hypogastrio pressui sentiendo admodum facile.

Med: Tinct. thebaic. gutt vjjj, alternis horis. — Pillulae glaciales. — Cataplasmata glacei in abdomen.

Vespere: Pulsus 112, Symptomata parum decreverunt. — Vomendi voluntas mediocris adhuc exstat, sed vomitus nullus est secutus. Ord: Tinct. theb. gtt. vjjj ternis horis. Cetera eadem, ac supra.

8|6. Pulsus 80. Nocte placido usa est somno. — Mane nulla erat febris. — Aegrota adhuc de nausea et prementibus in epigastrio doloribus queritur. Mane semel vomitum edidit 1 ½ unciarum liquoris biliosi. Positione quieta utens aegrota in abdomine nullos sentit dolores, sed idem pressum adhuc facillime sentit. Appetitus deest; lingua est humida, modice albicans, sitis mediocris, sedes bis est secuta tenuis nec larga.

Med; Tinct. theb. gtt. vj quaternis horis; sinapismus supra epigastrium; cataplasmata glaciei.

8|6. Pulsus 84. Valetudo subjectiva melior. — Nulla febris. — Ord: Balneum tepidum; cataplasmata. — Tinct. theb. gutt. vj, quaternis horis.

10|6. Pulsus 92. Nocte somno usa est incerto; abdominis et ossis sacri dolores aucti sunt. Nocte frigore affecta est vehementi, quod quum per horam dimidiam duravisset, aestus sudorque secuti sunt. Mane temperatio non est aucta. — Aegrota adhuc de vehementibus in osse sacro et abdomine queritur doloribus vomendi voluntate mirum quantum deminuta. Semel vomitum edidit. Appetitus deest, sitis est mediocris, lingua modice albicans, paullum sieca est. Sedes jam tres dies deest.

Med: Tinct. theb. gutt. vjjj alternis horis. — Olei Ricini singula cochlearia. — Cataplasmata frigida in abdomen.

11|6. Pals. 88. Nocte aegrota somni inopia laboravit. — Mane nulla febris. — Dolores in abdomine et in epigastrio valde decreverunt. Vomitus adhuc semel factus est; massae vomitu editae sunt aequatiles, subvirides, admodum amarae. Sedes semel facta est pulti similis.

Med: Tinct. theb. gtt vj ternis horis. — Cataplasmata frigida.

12|6. Pulsus 84. Valetudo subjectiva paullo melior. — Dolores sunt parvi, pressus in epigastrio sentiri desiit. — Vomitus non rediit. — Appetitus deest, sedes XXIV abhinc horis non est secuta. Mingendi aegrota mediocribus laborat difficultatibus; urinae dimissio difficilis et cum modicis doloribus sub symphysi urentibus est conjuncta.

Med: eadem.

13|6, Pulsus 80. Status idem.

14|6. Pulsus 78. Nocte rarus somnus, nulla febris. — Spontanei nulli exstant abdominis labores, cruribus motis mediocres sentiuntur dolores. Fossa iliaca sinistra, in qua auctam resistentiam aperte licet percipere, modicam adhuc pressus sentiendi exhibet facultatem. — Sedes jam tres dies deest.

Med: eadem. Olei Ricini singula cochlearia.

15|6. Pulsus 84. In universum nulla matatio. Nulla febris. Cataplasmata frigida aegrotae molestum frigoris sensam efficiunt, quare ab iis disceditur. Sedes non est secuta; oleum evomitum. Ordin: Electuar. e Senna.

16|6. Pulsus 80. Valetudo subjectiva bona. Spontaneos nullos aegrota sentit dolores; urina sine labore dimittitur; sedes semel est facta. Ordin: Emuls. Ol Ricin (℥β: ℥vj), alternis horis singula cochlearia.

19|6. Pulsus 76. Valetudo subjectiva bona. Nulla febris, nullae molestiae. Sedes per diem semel vel bis est facta pulti similis. Ordin: eadem.

26|6. Aegrotra sana dimissa est.

Restat, ut viro Ill. Freund, qui in hoc libello scribendo et consilio suo et libris necessariis benigue me adjuvit, intimo ex animo gratias agam quam maximas.

Theses defendendae.

1. Primum incitamentum pariundi non ex foetu oritur.
2. In amputatione penis ansam galvanocausticam cultro praeferendam esse contendo.
3. In morbis syphiliticis methodum inunctionis optimam esse medendi rationem existimo.

Vita.

Natus sum Maximilianus, Gottholdus, Ephraïmius, Julius Müller, fidei evangelicae addictus, Javoriae, oppidi Silesiae inferioris, die Decembr. XXIII anni MDCCCXLI, patre Julio, matre Carolina, e gente Steinbeck, quos dilectissimos ut deus per longissimum tempus incolumes mihi servet in dies oro et precor. Primis litterarum elementis in schola patrii oppidi imbutus, quum pater meus anno h. s. LV ad forum Olsnense judex vocaretur, hujus oppidi gymnasium adii, quod tunc sub viri doctissimi, celeberrimi Silber florebat auspiciis nec non ad hoc tempus floret. Testimonio maturitatis academicae instructus anno h. s. LXI hanc almam petii litterarum Universitatem Viadrinam et ab Ill. Semisch illo tempore fasces academicos tenente civium academicorum numero adscriptus et apud Ill. Middeldorpf tum gratiosi medicorum ordinis Decanum Spect. nomen dedi.

Per quadriennium in hac alma litterarum sede horum virorum Celeberrimorum, Doctissimorum scholas frequentasse glorior: Aubert, Barkow, Betschler, Braniss, Foerster, Frankenheim, Freund, Goeppert, Grosser, Grube, Haeser, Heidenhain, Klopsch, Lebert, Levy, Loewig, Marbach, Meyer, Middeldorpf.

In exercitationibus anatomicis Ill. Barkow, in clinico et policlinico obstetricio Ill. Betschler, et quum ille praematura

morte nobis esset ereptus, Ill. Freund, in clinico et policlinico medico Ill. Lebert, in clinico et policlinico chirurgico-ophtalmiatrico Ill. Middeldorpf duces mihi fuerunt benevolentissimi, summeque venerandi, quibus, si quid valeam in nostra arte, plane debeo.

In exercitationibus clinicis et policlinicis benignissime me adjuverunt viri Expp. DDr. Caro, Dittmar, Fuhrmann, Humelet, Jaensch, Koerner, Reichelt, Reinhardt, Ressel, Schiffer, Sommerbrodt, Wiss.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis hoc loco gratias ago semperque habebo quam maximas!

Tentaminibus vero et physico et medico nec minus examine rigoroso superatis spero fore ut hac dissertatione cum adjectis thesibus palam defensa summi in me conferantur in medicina et chirurgia honores.